

quae bonum non fecerit excidetur et in ignem mittetur. Nihil, enim, in christiano regimine est medium; vel saecularis erit conversatio et probrosa, vel sancta et tam apud Deum quam homines gloriosa; bonus odor, vel rumor et scandalum in paroecia cito fit. Insuper quisquis in schola Christi non proficit recedit, quo eo ipso, malum exemplum ipse praebet.

c) Pastoris boni exempli mensura magna est; nam *qui loci summi necessitate adigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare*<sup>1</sup>; ac eum virtute, adeo longe multumque super usitatam consuetudinem excellere decet quantum inter pastorem et pecudes interest. Sicut, enim, oves non custodiuntur, nec gubernantur ab aliis ovibus, sed ab animali quod sit plusquam animal, ut est homo, ita homines [et a fortiori christifideles] non possunt custodiri ab omni homine, sed ab aliquo qui sit plusquam homo, scilicet homo quasi diuinus, qui dum divinis fere verbis divina iubet, fere et divina exempla subditis commonstret; *Deus stetit in synagoga Deorum*<sup>2</sup>. Imperantem, enim, *omni luminari splendidiorem esse oportet, in quibus luceat sicut luminaria in mundo*<sup>3</sup>. Hinc fit ut communium virtutum exemplar fidelibus praebere Pastorem haud sufficiat, qui cum in alto sedeat, adeo inusitatum ipsis exemplum esse adstringitur, ut non solum eius actio utilis, sed etiam singularis sit oportet. — Quod et ad bonum paroeciae nomen tuendum augendumque requiritur: nam ut de aedibus ex facie, ita de paroecia ex Pastorum praeuersum vita iudicium fertur. Quod si saeculi homines, aliquos [paucos tamen] defectus ecclesiasticis parcunt, eorum vero Praepositus adeo non parcunt, ut si quid in eis deprehenderint, malignantes detrahentesque linguis in eos ita exacuant ut omne fere eorum apostolicum ministerium penitus utilitate defraudent!

d) Coeteris coram omnibus se esse Pastor consideret. *Supra candelabrum, enim, ipse stat, et, etsi velit, non potest dissimulare quod est, et lumen eius, vel fumus eius ab omnibus videatur necesse est*<sup>4</sup>. Quemadmodum notae in facie maiori solent haberi dedecori quam in reliquo corpore, ita et minima Pastorum errata ab omnibus notantur ac, saepe nimis, commentantur atque augmentur. Nil mirum, igitur, si dum christifideium vitia fere meno cognoscit, Pastoris defectus omnes norint, cuius dicta vel facta fabula in ore multorum sunt. Habet, enim, hoc praelatura quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur, quo Pastorum

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.*  
Par. II cap. 3.

<sup>2</sup> Psalm. LXXXI, 6.

<sup>3</sup> S. Gregor. Nazianzenus, *loc. cit.*  
4 Petr. Blessens. *Epist.* 5.

cella ipsa, intimosque recessus recludit, omniaque arcana, noscenda fama proponit!

e) Opera sua sicut leges a christifidelibus haberi Pastor attendat. Adeo, enim, solet subditorum turba, *Praefectorum sibi mores ceu archetipum et quandam imaginem spectare, seque ad illorum formam efficere*<sup>5</sup>, ut, plerumque, accidat ut ii qui subsunt, eorum sub quorum imperio degunt, mores in se ipsos exprimant. Quin immo, *haec est conditio Principum ut, quidquid faciant, praecipere videantur*<sup>6</sup>; non, enim, *Principum opera subditi adprobare videntur, nisi hisce similia eos agantur*<sup>7</sup>; si, igitur, *Regis ad exemplum totus componitur orbis, et qualis Rector civitatis, tales inhabitantes in ea*<sup>8</sup> sint, nil mirum. *Quemadmodum ipsorum praeclara gesta multis prosunt ad simile studium evocantia, sic et eorum virtus alios ad virtutis exercitium segniores efficiunt, et ad bonorum operum laborem torpere faciunt*<sup>9</sup>. Pastores, igitur, ne et de ipsis quod de Phariseis Scribisque Servatoris Nostri illud ingeminari possit: *omnia quaecumque dixerint vobis servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere*<sup>6</sup>, adeo virtutum pulchritudine splendescant ut omnium christifidelium mentes ac corda oblectari simul ac illustrare, allicere ac movere possint.

f) Pastoris verba, si exemplo haud confirmentur, omnino vana esse pro certo ipse habeat; tunc, enim, adeo operibus verba ipse confundit, ut evangelicum illud: *Medice cura te ipsum*<sup>7</sup> subditis iterare fas sit. At Pastoris praedicatio ita operibus confirmando est ut quod verbo docet, exemplo firmet: vera, enim, doctrina illa est quam vivendi sequitur norma, et nihil turpius quam si bonum quod sermone Pastor proferat, opus explere negligat. Pastor, igitur, non tantum cum verbo loquitur, quam cum vita et moribus venerabiliter demonstratur, Doctor appareat, et sicut in numismate metallum, figura et pondus inquiritur, ita in omni ecclesiastico Pastore quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Si Praepositus, enim, *meus sic vivit, ego quis sum qui non faciam quod ille facit?*<sup>8</sup> Quomodo eum possum iudicare consilio meo Superiorum quem video inferiorem moribus? Super me debet esse cui me committere paro<sup>9</sup>. Enimvero, etsi doctrinae in Pastori defectui nonnumquam christifideles parcant, virtutis vero absentiae non parcunt, et Praepositi

<sup>1</sup> S. Gregor. Nazianz. *in Epist. ad Tit.*

<sup>2</sup> Quintilian. *Declam.* IV.

<sup>3</sup> Joseph. Ant. artic. 9.

<sup>4</sup> Eccles. X, 2.

<sup>5</sup> S. Ioan. Chrysost. *De Sacerdotio*, Lib. III, cap. 4.

<sup>6</sup> Matth. XXIII, 3.

<sup>7</sup> Luc. IV, 23.

<sup>8</sup> Petrus Blessensis, *Epist. 20 ad Episc. Carnut.*

<sup>9</sup> S. Augustinus, *De Pastoribus*, Cap. 4.

manus quae mundare coeteros debet ut munda sit omnino decet; secus, enim quas diluere sordes cupit, tactu inquinabit. Animarum, igitur, Prae-positi os, mens, manusque adeo concordent ut Servatoris Nostri illud: *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*<sup>1</sup>, iure meritoque fidelibus ingeminare ipsi valeant. Secus sinistra, inconsiderate, destruunt quod dextera, magno cum labore, struunt, vel saltem nil stabile, nil firmum ipsi aedificant.

g) Suas culpas a gravioribus quam christifidelium esse Pastor consideret. *Vulgarium, enim, hominum peccata, quasi in tenebris perpetrata, peccantes solos perdunt: viri autem illustris et multis cogniti scelus, commune omnibus affert detrimentum...* Non, enim, facti magnitudine, sed peccantis dignitate, peccatum omnes metiuntur<sup>2</sup>. Quanto quisque superiori constitutus est in loco, tanto, si delinquat, peccator est maior, et Pastor cui plus quam coeteris gratiae tribuitur, et plus quam coeteris tum Deo, tum subditis reddere tenetur: cui, enim, plus committitur, plus ab eo exigitur etiam cum usura poenarum. *Qui praesunt... exigua conceditur misericordia; potentes potenter tormenta patientur*<sup>3</sup>; fortioribus autem fortior instat cruciatus<sup>4</sup> legimus scriptum. Et recte sane quum non tantum suae, sed et fidelium animarum curam gerere Pastor debeat, et si eas, perversa agendi ratione, a recto detrahatur tramite, tot mortibus dignus est, quot suae perditionis exempla ad subditos transmisit. De Ieroboam quaestus est Deus: *Fecit quod malum est in conspectu Domini et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis eius quibus peccare fecit Israel*<sup>5</sup>. Ideo Deus percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit nec unam quidem animam de semine eius donec deleat eam iuxta verbum Dei<sup>6</sup>. Qui in culmine constituti sunt aut plurimos secum perdunt, aut multos in via salutis acquirunt; magna tales aut poena manet si multis praebeant imitationis laqueum, aut gloria Dei si multis ostendant sanctae conversationis exemplum. Nam, ut Apostolus Corinthios monebat, *peccantes in fratres et percutientes, conscientiam eorum infirmam in Christo peccatis*<sup>7</sup>. Hinc sequitur peccati scandalum adeo gravissimum in Pastore esse [cui de eo gravissimae a Deo tribuuntur poenae] ut eum a Praesule sola dumtaxat voluntate et animo conceptum ac deterius cunctis inferiorum apertis ac manifestis esse, S. Ioannes Clmacus<sup>8</sup> autumet; quod tamen [ut exactius loquamur] et ab adiunctis

<sup>1</sup> Ioann. XIII, 15.

<sup>2</sup> S. Ioann. Chrysost. *De Sacerdot.* lib. I,

cap. 1.

<sup>3</sup> Sap. VI, 7.

<sup>4</sup> Ibid. 9.

<sup>5</sup> III Reg. XVI, 26.

<sup>6</sup> Ibid. n. 29.

<sup>7</sup> I, VIII. 12.

<sup>8</sup> Ad Pastores. Cap: 12.

plurimum dependet. Attamen *scire Praelati debent quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt*<sup>1</sup>.

h) Se ipsum e lapsibus redimere difficultorem esse rem Pastor attendat; nam *difficile esse Principi regredi ad melius si vitiis fuerit implicatus*<sup>2</sup> Chrysostomus monet. Fideles, enim, peccantes Praepositum metuunt: Pastores vero cadentes, in praeceps libere ruunt, et, cum auctoritatis voci a nullo resistitur, per licentiae abruptum in licentiae mala facinora miserrime labuntur. Quod magis pavendum quia quum numerosiores fortioresque peccandi occasions Pastor habeat, etiam maioribus potentioribusque se redimendi obstaculis ipse subiacet. Auctoritatis potentia, adulaciones, fallaciaeque sine numero quibus obnoxius ipse est, erroris relinquere viam ac ad meliorem se recipere frugem per difficile illi negotium efficiunt! Hac ratione, per parva pericula, ad grandiora pericula Pastor pervenit.

i) Quod fidelibus vetitum vel minus conveniens sit, numquam sibi licere Pastor putet; nam iusta est eius vocis auctoritas si quid subditis prohibet, sibi licere non patiatur. *Pulcherrimus ordo est ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, et ex te discas qualiter oporteat aliis moderari.* Alioquin subsannabit te Sapiens, utpote pigrum illum cui labor sit manum porrigit ad os<sup>3</sup>. *Enimvero suavis lex populo illa est cui legislator ipse primum obedit*<sup>4</sup>; et, e contrario, vanae leges quas Princeps qui promulgat, non etiam exemplo suo et vita firmat et corroborat<sup>5</sup>. *Rex et lex [quidam dixit] una tantum discrepant littera*<sup>6</sup>, et qui recte docere cupit, anteire subditis exemplo debet, quo brevius aptiusque ad virtutem eos deducere valebit. Quum vero multo plus intelligatur quod oculis videtur quam quod auribus percipitur, ut non tantum istis, sed et subditorum oculis Pastor bonus inserviat omnino decet. *A regula nec Praelatus eximitur. Quid hoc sibi vult?* Ut regulam conservet in omnibus, nisi ut melius temere declinat ab ea<sup>7</sup>: secus, enim suam auctoritatem minuit, ac subditorum animos a se alienos facit. Bonus, igitur, Pastor non ex eorum sit agmine qui:

I) male vivunt et subiectos male vivere permittunt, qui, filios Heli imitati, [ut clare patet] auctoritate sua indigni prorsus

<sup>1</sup> S. Isidor. Hispalens. *Op. cit.* Lib. III, cap. 51.

<sup>2</sup> S. Ioan. Chrysostom., *De Sacerdotio*, Lib. VI, cap. 8.

<sup>3</sup> S. Bernardus Epist. 10, *ad Balduinum Abb.*

<sup>4</sup> Saavedra, *Op. cit.* cap. 21.

<sup>5</sup> Id. *Ib.*

<sup>6</sup> Id. *Ib.*

<sup>7</sup> Trithemius, in cap. 2. *Regul. S. Benedicti.*

apparent: enimvero ubi Praelati et subditi reprobam vitam ducunt, divinae ultiōnis poenam pariter subeunt.

II) Qui cum aliis rigide se habent, sibi vero omnia licere putant: hi enim [ut facile liquet] omnino damnandi. Enimvero magistrorum bene docentium, at male viventium actus perversus est.

III) Qui sibi aliisque rigidissime extant, qui timorem Dei habentes, sed non secundum scientiam, duriora praecepta, quae humana conditio sustinere non potest, statuunt. *Timor in eo est quia videntur sibi consulere disciplinae, virtuti opus ingerere; sed insidia in eo est quia non compatiuntur naturae, nec aestimant possibilitatem*<sup>1</sup>. Ea sit itaque Pastoris caritas qui, *infirmitatem subditorum miserendo et consulendo, plana iubeat*<sup>2</sup>; *qui vehementer emungit elicit sanguinem*<sup>3</sup>. Nec Pastor illum virtutis gradum quem ipse praebere potest a christifidelibus exigere fas est: alia, enim, exercitus dux, miles alia praestare debent. Idcirco christianam observantium Pastor urgeat semper; at ne, potiusquam flectere, frangat, heic quoque fortiter in re, at suaviter in modo se habendo, nimietatem devitet.

IV) Ex iis qui alias indulgenter, se vero rigide tractant Pastor sit, ut *summi Viri Sanctae Ecclesiae..., qui quos in eodem culmine ponunt, docent sibi esse rigidos, sed subditis temperatos*<sup>4</sup>.

16. — *Principem magis exemplo quam culpa peccare*<sup>5</sup> animadvertisit Plato, et *integritas Praesidentium salus est subditorum*<sup>6</sup> Concilii Tridentini Patres, iure meritoque, monuere. *Languente, enim, capite incassum membra vigent, et in hostium exploratione frustra exercitus velociter sequitur si ab ipso duce itineris erretur*<sup>7</sup>. In primis, igitur, o Venerabilis Pastor, fac ipse quod praecipis, exerce quod praedicas, imple quod mandas: non vita discordet a lingua, non opera videantur a sermone discreta, nec aliud doceat auctoritas praesidentis, aliud vero exhibeat operatio conversantis<sup>8</sup>.

<sup>1</sup> S. Ambroſius, in Psalm, 118.

<sup>2</sup> S. Gregorius Magnus, in I Reg.,

Lib. IV, cap. 4.

<sup>3</sup> Prov. XXX, 33.

<sup>4</sup> S. Ioann. Chrysostom. *De Sacerdotio.*

Lib. III, cap. 11.

<sup>5</sup> S. Gregorius Magnus, in I Reg.

Lib. IV, cap. 4.

<sup>6</sup> Sysig. 9. 4.

<sup>7</sup> Sess. XXII, c. *De reformatione.*

<sup>8</sup> S. Gregorius Magnus, *Reg. Pastoral.*

Parte II, cap. 7.

### Articulus III.

#### DE BONI PASTORIS PATIENTIA.

##### § I. — De hac virtute generatim spectata.

SUMMAE RERUM. — 17. Animadversiones praeviae. — 18. In regimine patientiae causae quae sint. — 19. Huius virtutis in Pastore ecclesiastico necessitas. — 20. Eius utilitates. — 21. Quae in tribulatione solamina Pastori esse possint.

17. — Quamvis omnes in hoc terrestri exilio peregrinantes a Domino, ut huius vitae cursum feliciter feliciterque compleant et coelestem Sanctae Patriae beatitudinem assequantur patientia egeant, his attamen qui coeteris praeſunt, ut saeculi aerumnas et sui regiminis difficultates apte sustinere feliciterque superari valeant, multo profecto magis necessaria est. Enimvero quo conditio munusque altior, contumaciae, invidiae, detractionum telis fortius impetratur. *Omnes, enim, circumstant parati ut vulnerent ac deicant, non modo ex inimicis multis, sed etiam [Pastor meminerit], ex his qui amicitiam simulant*<sup>1</sup>; quo fit ut si aliquando potentes adversarii potenter eos depriment, interdum et falsi fratres eos sapienter feriant<sup>2</sup>. Idcirco Pastor qui paroeciae navem regendam suscepit, quanto procul a littore discedit, tanto amplius, cum illi quibus nulla navis cura commissa est quiescant, ut vigilet necesse est, ea quippe vigilantia quae maximum patientiae exercitium requirit. Tanto maius, enim, tribulationis pondus ipse sentiet, quanto minora auxilia ab omnibus sibi expectare licet: ab omnibus diximus, quia, interdum, a quibus plus confiditur, minus habetur.

18. — Patientiae exercitationis, seu discriminis causae tum generales, tum peculiares habentur.

A) Generales ad unam redeunt quam Sapiens ac Psalmista indigitat, dum alter clamat: *Detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem*<sup>3</sup>, ac primus monet: *Ambulans recto itinere et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via*<sup>4</sup>, qui suae malae vitae tacitam reprobationem in bonis iustorum operibus conspicit. Insuper [uti iam diximus] cum in alto Pastor sedeat, et altius caeterorum passionum

<sup>1</sup> S. Gregorius Magnus, in I Reg.  
Lib. V, cap. 1.

<sup>2</sup> S. Petrus Damiani, *De Perfect. Monach.* Cap. XV.

<sup>3</sup> Psalm. XXXVII. 61.

<sup>4</sup> Prov. XIV, 2.